



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Tyrocinium Artis Oratoriæ Sacræ Et Profanæ**

**Moine, Joseph**

**Solodori, 1714**

8. De Figuris verborum, quæ fiunt per Detractionem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68834)



ciso repetit, in eoque paululum subsistens quasi per gradus ad Membri finem procedit. Paulus ad Rom. 5. v. 3. *Gloriamur in tribulationibus, scientes, quod tribulatio patientiam operatur; patientia autem probationem; probatio verò spem; spes autem non confundit.* Cic. pro Rosc. Am. n. 75. *In urbe luxuries creatur: ex luxuria existat avaritia necesse est; ex avaritia erumpat audacia; inde omnia scelera ac maleficia gignuntur.* Sed hæc Figura, cum nimis aperta sit, rariùs assumatur.

## CAPUT VIII.

*De Figuris verborum, quæ fiunt per Detractionem.*

I. **Q**uid est *Synecdoche*, prout est Figura, & à Tropo ejusdem nominis differt? Fig. verbor.  
per Detractionem.  
Synecdoche.  
 Resp. Est reticentia unius verbi, quod ex contextu reliquæ orationis facile intelligitur. Ut: *Sermo nullus, nisi de te.* Facile subauditur: *factus est. His auditis ille vim sibi fieri animadvertens hominum superiorumq; fidem implorare; intellige: cepit.*

II. Quid est *Dissolutio*? Resp. Est Figura, Dissolutio.  
 qua demptis conjunctionibus dissolutè plura dicuntur Cic. 3. Verr. n. 5. *Nullum esse dico indicium libidinis, sceleris, audaciæ, quod non in unius istius vita perspicere possitis.* Sic etiam plura Incisa sine conjunctione congeruntur. Cic.  
 cer.



cer. pro Arch. n. 16. *Hæc studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.*

## Adjunctio.

III. Quid est *Adjunctio*? Resp. Est Figura, qua plura Incisa unicum verbum habent, quorum quodlibet illud pro se exigeret, si solum poneretur. Verbum porro istud potest esse in primo vel in ultimo Inciso. Cic. I. Catil. n. 22. *Neque enim, Catilina, is es, ut te aut pudor à turpitudine, aut metus à periculo, aut ratio à furore revocârit.* Et pro Cluent. *Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia.*

## Disjunctio.

IV. Quid est *Disjunctio*? Resp. Est Figura præcedenti contraria, qua singulis Incisis alicujus Membri speciale verbum additur, cum omnia fatiis unico includerentur. Cic. pro Arch. n. 12. *Me autem quid pudeat, qui tot annos ita vivo, Judices, ut ab illis (studiis) nullo me unquam tempore aut commodum aut otium meum abstraxerit, aut voluptas avocârit, aut denique somnus retardârit.*

## Synœciosis.

V. Quid est *Synœciosis*? Resp. Est Figura, quæ duo Incisa, sibi mutuò contraria, unico verbo conjungit, quod in altero, ubi deest, subauditur, aut certè verbum æquivalens. Ut: *Tam deest avaro, quod habet, quàm quod non habet.* Supple: *ipsi deest.*

CA-